

iam circa consensum contractus substantialem versatur.

### §. IX.

Hæ ergo Zœsii aliorumque rationes ex doctrina morali & jure uniuersali petitæ rem non conficiunt. Verum igitur fundamentum in jure Romanorum singulari ejusque subtilitate quærendum. Scilicet, ostenderunt jam alii, in specie vero Wissenbachius *ad ff. disp. 13. th. 30.* & Huberus *in prælect. ad ff. tit. de dol. mal. num. 6.* pluribus vero celeberrimus Noodtius *de forma emendandi doli mali c. 4. & 5.* naturalem rationem non facere alios contractus bonæ fidei, alios stricti juris, sed veritatem simplicitatemque in omnibus contractibus sine discrimine desiderare, usque adeo, ut illum contractum, in quo hanc non reperiat, nullius momenti esse existimet: hoc vero aliter se habere in foro Romano, in quo contractus quidam bonæ fidei, alii stricti juris dicebantur, & in his quidem, qui bonæ fidei erant, dolus judicis officio ipso jure coercebatur, at in stricti juris contractibus dolus malus, et si ratione apud bonos viros improbaretur, tamen in foro, præterquam adjecta de dolo stipulatione, aut minore circumscripto, non magnopere vindicabatur ante præturam C. Aquilii Galli, qui primus doli mali actionem exceptionemque in edicto proposuit, v. de illo Aquilio Cicero *l. 3. de nat. Deor. c. 30. & l. 3. de offic.*

### §. X.

Adducemus adhuc nonnulla ex Noodtio *d. c. 5.* quoniam ille rem admodum perspicue & solide proponit. Videri poterat, post introductam a Cajo Aquilio Gal-